DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
DE

CARDIALGIA

Quam
COELESTI ARCHIATRO PRÆSIDE,
DECRETO ET AUTHORITATE
NOBILISSIMÆ ET GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN
ILLUSTRI ACADEMIA LUDOVICIANA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME OBTINENDI
PUBLICO
EXCELL. DNN. PROFESSORUM
Examini ſubmittit,

FRIDERICUS MAGNUS CRANZ,
Hanovienſis.

Ad diem 23. Februarii, Anno MDCLXXXII.
Horis locoq; conſuetis.

 ——— 

GISSÆ,
Ex Chalcographéo Academ. Kargeriano.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO

COMITI AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO
CASIMIRO,

COMITI

In Hanau / Reineck & Zweybrücken /

DYNASTÆ

In Müntzenberg / Liechtenberg & Ochsenstein /

EPISCOPATUS ARGENTORATENSIS

ARCHIMARESCHALLO


ET ADV. SUPR. HÆREDITARIO &c.

COMITI AC DOMINO

SVO CLEMENTISSIMO,

Disputationem hanc Inauguralem summâ animi reverentiâ & submissione offert

Humilimus Cliens
FRIDERICUS MAGNUS CRANZ,
HANOVIENSIS.



I. N. J.

PROOEMIUM.



Otanter *Sallust. ad Cæsar.* O-*mnia regna*, inquit, *civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuêre, dum apud eos vera valuêre consilia; ubicunq; gratia, timor, voluptas ea corrupêre, paulò post imminutæ opes, deinde ademtum imperium, postremò servitus imposita est.* Hinc *Augustus*, rei hujus optimè gnarus, teste *Senec. l. 6. c. 23. de Benef.* frequenter exclamasse fertur: *Horum nihil mihi accidisset si aut* Agrippa *vixisset, aut* Mecænas. Quod si, ea, quæ in *Macrocosmo* etiamnum quotidie evenire videmus, *Microcosmo* applicare, aliorum exemplo, licuerit; dicendum sanè nobis erit, animalem humani corporis Oeconomiam usque eò prosperum habere imperium, dum in illâ bona, atque proficua valent Ventriculi consilia & actiones; ubi autem Stomacho (qui Oeconomiæ principi *Cordi* quasi à consiliis intimis est) Gnathonica potius arridet Gratia, timetque ne fortè utile alias absynthium quandoque admittens Regis palato minus arrideat, quin imo voluptatum illecebris semetipsum unà

cum chylo suo atque fermento corrumpendum tradit; tum sanè malum consilium consultori evadit pessimum, chyliferæq; opes paulò post imminuuntur non modò, verùm deinde etiam omne Cordi imperium adimitur ac postremò singulis corporis partibus, tanquam Achivis, à furibundo Archéo, servitus quædam præternaturalis imponitur: Quorum omnium nihil accidisset, si bona Ventriculi consilia vel voluissent vel valuissent. Ventris enim segnities, juxta *Hipp. l. 6. Epid. sect. 3.* omnium confusio, vasorumque impuritas. Inter tot hinc oboriri solitas turbas primum meritò obtinet locum καρδιαλγία *ventriculi dolor*, in quem plerunque primæ digestionis errores desinunt, cujus molestiâ & cruciatu tam quoque unà affligitur Microcosmi princeps, Cor, ut omnis in hujus interitum conspirasse ἀκαθαρσίη videatur. Affectûs itaque tam gravis, & præsens sæpe discrimen minitantis naturam juxta ac curationem præ aliis contemplari atque proponere animo constitui, postquam Gratiosissimi Medicorum Ordinis indultu argumentum pro disputatione inaugurali seligere concessum est. Te verò, B.L. obnixè rogo, ut, si non omnia ad palatum tuum, id est, ad votum meum elaborata sint, veniam mihi des.

Faxit D E U S ut bene cœptis felicissimus respondeat eventus.

CAP.

CAP. I.

Nominalem & realem Definitionem exhibet.

UT rem ab ovo, quod ajunt, exordiar, & succincto solidoque tramite procedam, pauca quædam, methodo hactenus receptâ, de affectûs hujus nomine dicturus sum.

Ratione itaque etymologiæ καρδιαλγία quasi ἄλγος τῆς καρδίας, origine Græca, usu verò latina, à parte affecta & symptomate nomen suum *teste Galeno lib.* 2. *Meth. Med. c.* 2. obtinuit.

Ad Homonymiam quod attinet, lectio Autorum docet, vocabulum cardialgiæ in genere illius partis, quæ καρδία, cor, vocatur, deinde sinistri ventriculi orificii dolorẽ κατ' ἐξοχὴν & propriè denotare; Notum enim est, venerandam Antiquitatem os ventriculi etiam titulo cordis, ob insignem, quem cum corde habet, consensum, aliasque, quas *Celeberr. Bartholinus in Anatom. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 68. adducit, rationes insignivisse; ceu patet *ex Galen.* 4. *aphorism.* 17. 65. *lib.* 2. *cap.* 8. *de placitis Hippocrat. & Platon.*

Synonyma occurrunt multa, vocatur enim καρδιωγμὸς, qui aliâs species est motûs cordis p. n. Cardiaca, quæ est morbus infantibus proprius. *Hippocr.* vir divini & stupendi ingenii utitur *lib.* 7. *aphoris.* 56. voce ἀλύκης, quam *Galenus* in commentario per anxietatem explicat, quò etiam Germanicum vocabulum, Hertzens-Angst / Hertzens Bangigkeit respicere videtur. Hæc circa nomen notata sufficiant, plura desiderantem ad *Foes. Oeconom. Hippocr. Gorræi definit. Sennert. in praxi* aliosque Medicos prolixius hæc tractantes remittimus, definitionem realem propositurí.

Cardialgia est sensatio tristis sinistri orificii ventriculi, gravissima inducens symptomata, à solutione continui confertim & cum impetu agente producta.

Licèt omnia, quæ de dolore in genere tradi solent, hîc locum quoque inveniant, nos tamen, brevitati studentes quædam saltim delibabimus. Tristem adesse sensationem (quæ formalis doloris ratio est, & ad symptomata sensûs tactûs depravati, ab Autoribus plurimis, consentiente ratione, rectè refertur) non solū illi, qui hoc affectu laborant, testantur, sed & multi Medici confirmant, in modo verò, quo fiat, multum inter se dissentientes: Plurimi tamen animam cognoscendo & objectum afficiendo activè, sensûs verò tactûs organum sive fibras nerveas passivè in hoc actu concurrere, & nullo modo hæc à se invicem separari posse, arbitrantur, quibus & nos subscribimus, præsupponentes ex Physiologicis (1) in statu naturali (contrariorum enim est eadem ratio) ad sensationem in genere, & speciе tactûs requiri animam (2) cùm anima sit ἀπαθὴς in sua natura & immaterialis (loquimur enim de homine, in quo animam sensitivam corpoream à *Willisio* aliisque introductam, cùm impropriè, durius & paulò ἀκύρως sonet, monente *in palæstr. Med. part.* 1. *Gymnas.* 1. *thes.* 1. *Nobiliss. & Excellentiss. Dn. D. Stranssio, Præceptore, Promotore & Hospite meo omni observantiæ cultu prosequendo* non agnoscimus) opus esse mediis sive instrumentis, quibus actiones perficiuntur, & proximis, uti sunt spiritus animales, & remotis, quæ constituunt organa propriè dicta sensuum. (3) fibras nerveas sine spiritibus animalibus dolore non affici, & spiritus sine fibris sensum non præstare. (4) pro dispositione structuræ organi sensum magis obtusum vel magis delicatum, imo planè nullum deprehendi, manifesto indicio, organum multum posse ad dolorem contribuere. (5) receptionem in organo & cognitionem in primo sensorio contingentem non divellendam esse. (6) objectum sensile organum feriens adesse debere, qua de re *Vid.* latius *Excellentiss. Dn. D. Wedelius Præceptor & Hospes quondam meus nunquam non colendus in Physiolog. sect.* 4. *cap.* 6. *&* 7. *Willis. part.* 1. *de anima Brutor. cap.* 10. 11.

Antequam ulterius progrediar, quorundam, qui pro Cartesianis haberi volunt, definitionem, quâ dolorem merum cogitādi modum, prætereaq; nihil esse definiunt, adeoq; sensatio-

nem

nem in partem affectam cadere negant, quanti sit valoris perlustrabo; hoc autem melius fieri non potest, quàm si ipsum primipilum, *Cartesium* putà consulamus, qui sibi non constans *cap.4. Dioptric.* putat, *animam, non corpus, sentire, idq; quatenus in cerebro est, non quà alia membra animat.* si τὸ sentire de sensibus internis, de cognitione, & quatenus actionem significat, intelligit, tunc id ambabus largimur manibus, sin verò ad sensus externos & in specie tactûs adeoque passiones extendat, jure id negamus, nam anima cum & in corpore, & corpus cum anima sensu doloris afficitur, quod ex præsuppositis facilè probari potest; porro si anima tantùm sentiret, & dolor merus cogitandi modus esset, bruta & homo nullos perciperent dolores, quoniam illa animâ juxta Cartesianos carent, hic v. statim suas cogitationes mutare potest. Et *Cartesius statim pag. sequenti* sibi contradicens, *extremitates nervorum, quæ ad omnia membra porriguntur, aliquo modo sentire posse,* statuit, quod confirmat *lib. de passionib. anim. part. 2. art. 94.* arbitrando, *dolorem semper oriri ab aliqua actione tam violenta, ut lædat nervos, & hunc sensum à naturâ institutum esse ad significandum animæ damnum, quod patitur corpus per hanc actionem.* Quid de hac sententia sentiendum sit, quilibet ex his contradictionibus (quæ etiam in le *Grand, Cartesii* assecla uti jam videbimus occurrunt) facilè judicare potest. Jam nominatus *le Grand in Institut. Philosoph. part. 8. art. 10. sensus mentis perceptiones nominat, sensusq; in cerebro saltim ab anima fieri sequenti capite probare conatur. Art. 12.* autē ubi de tactu agit, *illū omnibus nervosis, fibrosis, membranosis partibus attribuit.* & paulò post *nervos & fibras.* quæ sunt hujus sensus organa, *hâc sentiendi facultate pollere existimat. Confer. art. 22.* ubi ut obiter notetur, ea, quæ de Cephalalgiæ formali ratione habet, parum mutata ex *Willis. lib. 2. de anim. brutor. cap. 1.* de Cephalalgia fideliter non citato Autore transcripsit. Argumenta pro stabiliendâ sententiâ ab obstructione nervorum sentiendi facultatem tollente, & morbis vulneribusque cerebri omnes sensus adimentibus depromta, tanti non sunt, ut ipsis victoria concedatur, siquidem solùm probant, in cerebro ab anima judicium sive cognitionem

fieri;

fieri non posse, quia in corpore prohibito influxu spirituum, (quorum ope in organis fit sensus) receptio non contingit; imò hæc potius communem hypothesin, quod scil. anima, quia est ἀπαθὴς, non per se, sed mediantibus organis corporeis dolore afflictis patiatur, confirmant. Ratiocinium, quod *le Grand p.* 832. de applicatione remediorum in phreniticis profert, optimè pro nobis militat, si enim ibi est dolor sive sensus tactûs, ubi remedia applicantur, sequitur sanè in partibus corporeis v.g. pleurâ, orificio &c. dolores percipi, quoniam ibi optimo cum successu topica paregorica adhibentur. Exemplum doloris, qui in parte ablata sentiri putatur, Imaginationem [quam in Cerebro residere non negamus] læsam esse evincit, sed ab imaginatione ad omnes sensus concludere non licet.

CAP. II.

Subjectum proponit.

EX definitione haud difficile erit colligere, inter duo ventriculi orificia, à veteribus alterum altero declivius esse falsò arbitrantibus in inferius & superius, à Recentioribus in dextrum & sinistrum distincta, sinistrum in medio pene ventriculi situm, circa undecimam thoracis vertebram Oesophago continuatum, & ad sinistram paulò declinans partem (*vid. Barthol. l.c. B. Schenkius in Exercit. anatom.* 5. *lib.*1. *sect.* 2. *cap.* 14. *p.*270. *Highmorus in disquisit.*1. *Anatomic. lib.*1. *cap.* 3. *p.*19.) subjectum primarium constituere.

Etsi hoc assertum non solùm omnes ferè Medici approbent, sed & hanc partem, ob ejus substantiam ita nervis obvolutam, ac si juxta *Schenckium l.c.* ex nervis penitus compacta, & secundùm Ingeniosissimum *Willisium part.* 1. *Pharmaceut. rational. sect.* 2. *cap.* 2. *p.*13. quoddam quasi nervorum reticulum sit, admodum sensilem hos atrocissimos dolores pati posse, sana ratio confirmet; laudatus tamen *Willisius l.c.* in descriptione Ventriculi (quam satis accuratè tradidit) à communi recedens sententiâ, ventriculi tunicam nerveam pro subjecto agnoscit: Qui si subjectum non tam primarium, quàm secundarium, & car-

& cardialgiam non propriè, sed impropriè pro toto ventriculi dolore (quod etiam *Bonettus in suo sepulchreto lib.3.sect.7.* facit) sumptam intelligit, nobiscum facilè conciliari potest; aliâs, quia ægri non tam circa ventriculi, quàm cordis (ubi situm est orificium) regionem, dolores observant, orificium potius, juxta Institutionistarum πολυτρύλλητον, ubi dolor, ibi morbus, accusandum est.

De appetitu animali in hoc orificio ex mente Veterum & Neotericorum (*Willis.* peculiarem tamen fovens sententiam, assensum ob rationes, quas in cathedra dicemus, solidissimas *à Nobiliss. & Excellentissimo Dn. Heiland, Præceptore & Patrono meo piè colendo, in lectionibus privatis ad Willis. Pharmaceut. Rational.* allatas, non meretur) vigente, & audacis ingenisioq; (ut *Boyleo in præfat. introduct. in Chymi. sceptic.* audit) *Helmontii* de sede animæ sententia (quam refutatam vide *apud Barthol. l. c. & Cl. Mœbium in fundament. Med. Physiol. cap.* 10. *p.* 142. *seqq.*) nos jam, quia instituti ratio id prohibet, non soliciti sumus, pergentes ad subjectum secundarium determinandum, quod non tantùm ventriculum, cor, cerebrumque, cum quibus præ cæteris partibus, ob nervorum vulgò sexti, *Bartholino* noni, *Willisio* octavi paris communionem, habet consensum, (qui ratione nervorum propriè & simpliciter, teste *Celeberr. Ettmüll. in Eleganti de Opio disputat.* §. 24. dicitur) sed & totum corpus (de cujus habitûs præcipuè cutanei consensu cum ventriculo ejusque orificio vid. Doctissim. *Fernel. lib.* 4. *patholog. cap.* 10. ubi elegantissima reperies) pronunciamus.

CAPUT III.

Causam immediatam & mediatam proximiorem investigat.

QUoniam cognitio causarum *felices* juxta *B. Rolfincium in Ord. & Method. Comment. lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1. *reddit doctrinarum possessores, metus omnes, & inexorabile ignorantiæ fatum subjicit pedibus, & ἀμετάπτωτους reddit curiosos. Ea non instru-*

 ctus,

ctus, Palladis portas nec aperire, nec ingredi, multò minus ad regium ὑγιείας solium accedere & gloriosæ reginæ conspectu frui potest; ideò in causis rimandis magnam adhibere curam, nostrarum erit partium.

Causa igitur *Immediata*, non alteratio sive intemperies, sed solutio continui (quæ non perfecta, in habitu, sed incipiens, in fieri est, non lente & paulatim, sed confertim & cum impetu agit) consentiente totô ferè Medicorum choro haut injustè asseritur: dum nempe objecti improportionati, fibras nerveas divellentis, distententis, corrugantis, lancinantis, hincque spiritus in fibris latitantes extra ordinem moventis character sive Idea spiritibus animalibus imprimitur, hi continua serie dispositi impressionis typum tanquam legati ad referendum suscipientes irradiatione vel undulatione quadam (uti supra laudatus *Dn Wedelius in Physiolog. l.c. Excellent. Bohnius in Exercitat. Physiolog.* 16. §. 3. *Willis. de anima brutorum l.c.* loqui amant.) Regi seu Animæ dijudicandum offerunt. *Cartesii* sententiæ, quâ rem per varios motus nervorum cerebrum hinc moventium explicat, ob magnas, quas patitur, difficultates, silentio, jam, paginarum angustiâ jubente, involvendas, calculum nostrum addere non possumus.

Causæ nunc *mediatæ proximiores*, objecti hujus improportionati vicem sustinentes, considerandæ sunt; quas duplices facimus, internas, humores non in & propè ventriculum solùm sed in totâ machinâ microcosmicâ existentes; externas, illa scil. omnia, quæ acrimoniâ spiculisque suis vellicare & lancinare queunt, uti sunt assumta varia, solida vel liquida, alimentosa, medicamentosa & venenata: cum autem posterior causarum species in causarum n.n. & p.n. classe iterum occurrat, consueto tractandi mori morem gerens illius recensionem eum in locum reservabo, jam prioris illius humorosæ scil. & vaporosæ examen instituturus.

Inter humores, ventriculi primò fermentum, (quod salinæ naturæ in statu naturali blandè vellicat & appetitum ciet) acidius, fixius, acrius varias ob causas redditum, halitus ejusmodi acres orificium mordentes, sicque dolorem creantes de se emittit,

mittit. *Confer de le Boe Sylvium lib.1. Prax. Med. cap.34. p.68.*

Hinc in hypochondriacis, in quibus fermentum à copioso acore in primis viis stabulante collutulatum, & cum multo muco viscido ex βραδυπεψία collecto junctum est, atrox hic affectus non infrequens est. Hinc jejuno ventriculo, ubi menstruum, quia objectum, in quod agat, habet nullum, sui juris existens, & à bilis diuturniori inedia in ventriculum accersitæ particulis acribus salinis majorem acquirens acredinem fibras lancinat nerveas, hoc malum sæpe exacerbatur, quod juvenis quidam apud *Smetium in Miscellan lib.*10. testatur, in quo calor digerens, uti probabile, magnus, particulas activas excitando & exaltando aliquid contribuere potuit.

Ex hisce aliisque rationibus luculenter apparet, bilem flavam excrementitiam, quæ interdum immediatè ab hepate per meatum cholidochum in ventriculum insertum (*de quo vid. Mœbius l.c. cap.15. p.354.*) communicatur, vel mediatè ex Intestino duodeno in ventriculum præternaturaliter, ut in febribus, (in quibus ob calorem urentem & fermentum vitiosum æruginosa facilè fit) suffunditur, ratione particularum acrium lixiviosarum alcalinarum, quibus abundè scatet, ad hanc causarum speciem quam maximè pertinere; præcipuè cùm id ab Historiis Medicis à *Bonetto l.c. Timæo lib.*1. *Epist.*12. aliisque annotatis confirmetur.

Tragico huic actui, uterque humor iste universalis & alimentarius sanguis, ejusque individuus fidusque comes serum, multum contribuunt. Et quidem sanguis, optimus vitæ thesaurus, non quantitate, sed qualitatibus, non tam primis, quæ rarissimè ut calida in inflammatione, in censum veniunt, sed secundis, inter quas salina hîc palmam obtinet, delinquens hoc malum producit. In genere enim salia sive acria sive acida, sive salsa, membranis nervosoque generi ob aculeos suos rigidos infesta & inimica sunt, unde & unà cum inæqualitate, non irritationis tantùm, sed & vellicationis & lancinationis autores existunt. Hinc in febribus, ubi ob motum Massæ sanguineæ intestinum & propulsivum p. n. sanguinis particulæ roscidæ, balsamicæ, suaves dispelluntur vel in-

 vertuntur;

vertuntur; contra verò biliosæ acres, alcalinæ, lixiviosæ exaltantur, ob metastasin harum aliarumq; particularum heterogenearum ad orificium factam Cardialgia frequenter contingit, *Vid. Willisius de febb. cap.* 10. Vitiis sanguinis recensitis ad serum accessum facimus, cui ea, quæ de sanguinis acredine salina diximus, magis competunt, siquidem non solùm salium vehiculum est, sed & omnium humorum tincturam imbibit. Et ad salis lixiviosi existentiam probandam non multis opus esse argumentis arbitror: cum id Urina ceu seri soboles toto die testetur; Neque etiam, lympham salibus acidis sæpe præternaturaliter imprægnatam esse, in dubium vocare quis potest, si experimenta & observationes, quas *Ettmüllerus in dissert. de Med. Hippocr. Chimic.* suggerit, consideret. Hinc scorbutici, quorum serum variis salium generibus valdè deturpatum est, Cardialgiam pati coguntur. Ob eandem dyscrasiam seri salinam arthriticus & nephriticus ille Episcopus Gracoviensis apud *Sylvat. Consil.* 72. *cent.* 2. Cardialgia laboravit.

Altera, quoad essentiam spectatæ, causæ proximioris species sunt flatus acres, vel ex cibis flatulentis enati, vel ex calore debili, seu juxta Clariss. Sennertum in praxi *lib.* 3. *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 11. *& Sylvium lib.* 1. *cap.* 9. *§.* 6. 7. humore bilioso, in materiam crassam, mucosam, viscidam, uno verbo pituitam agente, eamque resolvente producti, qui, dum sese fortius in fibras nerveas insinuant, easque valde distendunt & pungunt, dolorem efficiunt.

CAP. IV.

Causas mediatas remotiores aggreditur.

INter causas, quæ ad proximiorum vel generationem, vel faciliorem susceptionem faciunt, primò se sistunt res naturales, è quarum numero est temperamentum calidum & siccum, sive biliosum tum totius corporis, tum ipsius ventriculi, ad acrium biliosorum flatuum generationem, quàm maximè aptum, unde illi, qui vocantur πικρόχολοι, huic affectui obnoxii sunt.

Quod

Quod ætatem sexumque concernit, *nulli ætati nullive sexui* Cardialgia parcit, æque infantes tenerrimos, florentemque juventutem ac venerandam canitiem, æq; fœminas & virgines, ac viros invadit, sexum tamen fœmininum huic torturæ frequentius, ob uterum symbolum suum conferentem, subjectum esse experientia testatur. Quâ ratione, primum inter res n.n. meritò obtinens locum aër, cui, ob inevitabilem necessitatem, quâ per inspiratione & transpiratione aditus in principia vitalia continuò conceditur, magna potestas corpus nostrum alterandi concessa est, qualitatibus primis in corpus, humores, spiritusque agat, pleni sunt Medicorum libri; frigus præsertim quid præstet, si nudo occurrat ventriculo, docet *Sennert. lib.3.prax.part.1.sect. 2.cap. 15.* Cui etiam experientia suffragatur. Aer quoque non solum propter varias, quas pro ratione loci & temporis, vehit atomos, v.g. metallicas, acres, venenosas, arsenicales ♁ ales, malignas pestilentiales, sed & ob particulas ⊖nas, nitrosas, quibus abundat, aculeatas, si Recentiorum quorundam vestigiis insistere volumus, accusandus est. Cibi præter errores, qui in quantitate ordine modoque assumendi committuntur, ratione flatulentiæ & qualitatis potissimum acris, quâ vel per se, ut cepæ, allium gaudent, vel demum in ventriculo, ut pinguia, dulcia, lac (*de cujus effectu vid. Rolfinc. Method. Comment. lib. 2. sect. 3. cap. 59. & Sennert. l. c.*) acquirunt, causæ naturam induunt. Confer in praxi felicissimum *Felicem Platerum tom. 2. prax. cap.*11. ubi de variis eduliorum generibus, & corruptionis modo eleganter disserit. Suum quoque addit ἐπιβάλλον μέρος potus frigidus, quod *Rhodius Cent. 2. obs.*71. observavit impurus flatulentus, qualis est cerevisia recens, non defæcata, vini copiosus, quale exemplum *Lottichius lib.4.cap.1.obs.*87, annotavit, ubi evaporatis particulis spirituosis volatilibus impurum magma relictum est.

Huc spectant etiam tum purgantia, tum medicamenta alia, quæ ob ⊖ia volatilia acria, caustica generationi hujus affectus apta nata sunt, cujus rei exemplum *vid. apud Heer obs.16. Ephemerid. ann. quart. obs.*119.

 Motus

Motus, quies, ſomnus & vigiliæ non legitimo modo & tempore inſtitutæ, quatenus in cibis contentarum particularum oleoſarum ſulphurearũ volatilium extractionem ſicq; chyli aëraſcentiã impediendo corpus cruditatibus flatibusq; generandis aptum reddunt, Maſſæ ſanguineæ conſiſtentiam ſuavem balſamicam pervertunt, eidemque ſpiritus abſumendo vappeſcentiam inducunt, ceuſum hunc ſubeunt; in ſpecie verò mediante motu atroces doloris accenduntur faces, dum idem corruptos humores & flatus in corpore latitantes & quaſi conſopitos conmovet, adeoque in actum deducit. Animi pathemata in excludendo malo hoc ovo fomitem ſubminiſtrant maximum, ſic concitatâ per iram efferefcentiâ majori, & redditâ ſanguinis circulatione citatiori, affluit mediantibus arteriis ad orificium plus ſanguinis, quàm ut venæ recipere queant, hinc accedente ſtagnatione & extravaſatione inflammatio cardialgiam producens oritur. Sic Mœrore & triſtitiâ bilis flava in ventriculi pomoeria, teſte *Langio lib.* 1. *Epiſtol.* 22. invitatur, ut taceam effectus, quos quietem, ſomnum &c. præſtare dixi.

Inter excernenda & retinenda, quæ agmen rerum n.n. claudunt, ſuppreſſiones menſium præcipuè & alvi excrementa diutius retenta putridos & acres vapores ad orificium mittentia conſiderationem merentur.

Magnus hîc rerum præternaturalium, quibus adjuncta eſt Cardialgia, numerus ſeſe offert. Quid enim communius? quid frequentius in febribus (ut ab univerſalibus morbis initium faciam) tum continuis (de quibus ſupra actum eſt) tum intermittentibus, quam Cardialgia? de quo magis queruntur ægri in morbis malignis & peſtilentialibus, quam de cordis dolore ſæviſſimo? qui licèt interdum cor propriè dictum ob reſtagnantem ſaguinem affligat, ſæpiſſimè tamen in orificio ſiniſtrô tyrannidem ſuam exercet, cujus rei cauſa, præter ſupra *cap.* 3. datam, potiſſimum adſcribẽnda eſt orificii ventriculique inflamationi & eſcharæ inductæ à Carbunculorum (de quibus *vid. Helmont. in tumulo peſtis p. m.* 843. 867. 891. *Diemerbroek. de peſte lib.* 1. *cap.* 13. *Bartholin, Cent.* 3. *Epiſt.* 42.) ſe acerrimo

cauſtico

caustico, quod non ita pridem per destillationem, licèt satis curiosam, valde tamen periculosam, patefactum est. Ex his aliisq; rationibus, ut in transitu notetur, quidam commoti sunt; ut cum *Helmontio & Bartholin.* sedem febrium malignarum principalem in ventriculo collocârint. In endemio & admodum funesto isto sudore Anglico καρδιωγμὸς observatus quoque fuit, ut id *ex Sennerto Willis. in phaimac. ration par. 1. sect. 5. cap. 3.* annotavit. In fœminis & virginibus hystericis rarò hoc symptoma, teste experientia, deest. Sic ab hirudinibus, serpentibus, jx. *Rhod. observ. 72. cent. 2.* ex compressione ossis sterni test. *Plater. in praxi l. c.* ab acumine cordis maximi, jx. *ann. quart. Ephemerid. obs. 31.* ortus est noster affectus. Vermes venena, malum hypochondiacum, scorbutum &c. silentio jam prætereo.

CAP. V.

Differentias delineat,

QUanquam ex hactenus dictis, quænam hîc occurrant differentiæ, facilè colligi queat, tamen, cùm ordo consuetus postulet, paucis differentias affectus nostri tradere placet.

Ratione itaque generis alius dolor est morsicativus, qui in specie vocatur καρδιωγμὸς, alius pungitivus, alius extensivus; à gradibus quoque magnitudinis & vehementiæ differentiæ Cardialgiæ desumuntur, hinc aliam mitiorem aliam graviorem esse deprehendimus, illa paucioribus stipata symptomatibus facilius in fugam vertitur, hæc verò atrocioribus & periculosioribus diutius sævit & difficulter curatur.

Respectu temporis alia recens, alia inveterata, alia magis continua, alia interpolata & periodica (qualis *ab Amato Lusitan. Cent. 1. Curat. 73.* annotata est) alia ante cibum (qualem nobilis ille hypochondriacus apud *Montanum consil. 239.* expertus est) alia post cibum grassatur.

Ratione subjecti alia est essentialis sive Idiopathica; ubi sedes materiæ in ipsa parte affecta primaria est, alia sympathica,

thica, si aliunde morbi fomes transmittitur; hinc vitio hypochondriorum hypochondriaca, vitio uteri hysterica, scorbuti scorbutica &c. audit.

Ratione denique causarum, tot possunt constitui differentiæ, quot causæ fuêre in superioribus recensitæ.

CAP. VI.

Signa Diagnostica & Prognostica enumerat.

QUilibet ex elegantissima & aureis literis inscribi digna *Tralliani lib.9.cap.1.* sententia: quod internotio rectæ curationis sit fundamentum, facilè judicare potest, quanta sit necessitas, quantaque utilitas signorum diagnosticorum. Quare etiam operæ pretium erit, omnes intendere nervos, ut illa ritè recteque proponantur.

Cardialgiam adesse, ratione generis demonstrat essentialiter inhærens sive pathognomonicum signum, lancinationes seu morsicationes circa scrobiculum cordis torquentes. Essentialiter consequentia varia sequuntur. Adsunt enim anxietas præcordialis, inquietudo, asthma præcordiale, deglutitio difficilis, pulsus obscurus, debilis, syncope, scotomia, vertigo, quorum symptomatum generatim nulla est ratio alia, quàm quod ob vim injuriamve huic exquisitissimo sensu præditæ parti illatam spiritus ibi excubantes à se invicē divulsi & dissipati totam hypostasin in consensum rapiant, inque ἀταξίας enormes abripiant, hinc actiones, quibus spiritus præsunt, necessariò vel cessare vel labefactari debent. Sudor quoque nonnunquam erumpit, quando nempe spiritibus præ anxietate stationes suas deserentibus, tonus fibrarum Glandularum subcutanearum debilitatur, & laxatur, ut sua sponte lympha exhalari possit. Observatur itidem, calore mediante circulatione non communicato, frigus extremorum; nausea, inappetentia, tum à menstruo ventriculi ob congeriem humorum viscidorum inerti & quasi obtusiori reddito, tum à calore ventriculi debili

bili orta. Ob bilem aliosque humores copiosos corruptos plicis sive rugis ventriculi quasi agglutinatos acrimoniâ suâ stimulantes vomitus biliosi aliique hypochondriacis familiares præcedunt vel sequuntur.

Quoad subjectum, Coctio impedita, appetitus prostratus, nauseæ, vomitus &c. affectum esse essentialem, materiamque in ventriculo hærere, demonstrant: Sympathicam verò Cardialgiam, læsionum & affectuum partium, quarum vitio contingit, signa propria cognitam reddunt.

Quanquam causarum signis indicandis, ordine exigente, operam jam navare deberemus, tamen, cùm ex adstantium relatione, antecedentium & consequentium circumstantiarum, causarumque supra enumeratarum collatione signa non modò facilè erui queant, verùm præterea etiam eadem ab Institutionistis satis operosè & prolixè exposita sint, hoc labore optimo jure supersedere nos posse existimamus. Autores quidam etiam de signis, quibus Cardialgia à Cardiacâ & Cardiogmo distinguitur, tradendis solliciti sunt, sed quoniam hi affectus non, nisi gradu, differunt, eorumque cura eadem est & Medici his vocabulis promiscuè utuntur, sub eodem quasi capite commodè comprehendi possunt. Distinguitur quoque facilè à ventriculi, hepatis, coli dolore, si vehementia intensi hujus doloris, ejusque situs, qui ad cartilaginem ensiformem, & ad eam nonnunquam spinæ dorsi partem, quâ orificium reclinat, sese extendit, probe considerentur.

Progredimur nunc ad signa Prognostica, quæ ad gloriam famamque aucupandam non tantùm faciunt, sed & utilitates, quas *Cous lib. prognost.* 1. proponit, insignes præstant. Et primò quidem, ratione salutis & mortis, nos neque fallere, neque falli arbitramur, si Cardialgiam, propter atrocissimos dolores molestissimum, & ob supra memoratum cum partibus principibus consensum periculosum, imo nonnunquam lethalem affectum esse, prædicamus. Variat tamen periculum ratione magnitudinis & vehementiæ symptomatum, sic Cardialgiam miris stipatam symptomatibus, & viribus fractis confligentem lethum intulisse, observavit *Raygerus an.*3. *Ephemer. Germ, obs.*10. sic frigiditas extremorum jux-

ta *Riverium lib.9.prax.cap.*10. mortem proximam prænunciat. In angustiori quoque loco salus patientis versatur, ubi syncope & sudores frigidi urgent. Cardialgia semper periculum in febribus, uti *Hippocrat.aphoris.*65.*sect.*4.docet, minatur; & in malignis sæpe lethalitatem portendit; sic quoque in dysenteria maligna si non semper, tamen sæpe ad mortem cum singultu terminatur.

Contra verò spes salutis affulget, quando omnia contrario se habent modo, & ructus superveniunt.

Varietas causarum variam quoque reddit prognosin: quare, ubi causæ sive humorosæ sive vaporosæ rebelles & quasi habituales redditæ sunt, periculum imminet. Cordis dolor à causâ malignâ venenatâ oriundus, periculosus, ab inflamma- & eschara, periculosissimus censetur, gravior quoq; est ille, qui bili ortum suum debet, sic etiã Cardialgia à vermibus in ventriculo contentis inducta gravissima est, quâ ægri derepente interdum *secundum Riverium d.l.* pereunt, cui *Gualterus in praxi sua*, *Hercul. Saxonia in prælectionib. Practic. part.2.cap.*7. imo experientia ipsa suffragium addunt. Respectu subjecti periculosius decumbit ille, qui orificium admodum sensile habet, & non tam per consensũ, quam per essentiã hoc affectu laborat, licèt posterius non semper valeat. Quoad longitudinẽ & brevitatem, in Cardialgia, quia à medicis pro acuto habetur morbo, citâ opus est ope, aliâs æger victas tradere manus cogitur. Citius verò vel longius, prout causæ urgent, ad mortem vel salutem terminatur, aliquando tamen malum diutius sævit, & chronicorum naturam induit, non quidem continuò, sed per intervalla affligens, uti id jam citata *Raygeri observatio* attestatur. Modus eventûs est diversus, vel integrè (quod frequentius contingit) consopitis doloribus & correctâ, criticumque in modum evacuatâ per alvum, vomitum, hæmorrhagiam materiâ, solvitur, vel in alium morbum, ut in quartanam, teste *Clariss. Horstio lib.*1.*obs.*13.mutatur; ad mortem verò syncope vel convulsionibus tendit.

CAP.

CAP. VII.

De Curatione sollicitum est.

FElici nunc auspicio ad ipsam provolvimur curationem, quæ certis & consuetis indicationibus, ceu statuis Mercurialibus, innititur, sicuti enim nihil sine legibus JCtus, ita nec sine indicationibus quicquam ritè præstare potest Medicus, quarum prima curatoria in paroxysmo ipsam tristem sensationem removendam, correctâ & exstirpatâ vellicationis causâ, doloreque per narcotica vel anodyna sopito, respicit. Præservatoria extra paroxysmum locum habens, & causis antecedentibus debita omnem præscindit fomitem, ne revertatur malum. Vitalis virium tum restaurationi, tum earundem conservationi per medicamenta & alimenta studet.

Ex antiquissimo & nobilissimo fonte Chirurgico, heroïcum istud remedium, *Venæ Sectio* primo se sistit loco, quæ tamē rarius & nec nisi in certis quibusdam casibus suadenda est, utut in vero & genuino cordis dolore, cujus supra mentio facta est, quia circulus sanguinis impeditus, eximiè prosit. Quod si v.g. sanguis copiâ simul, ut in plethoricis, vel qualitate & motu, ut in febribus & inflammatione, quæ rarissima est, peccet, phlebotomia conducit: Exemplum felicis eventûs *Hippocrat. lib.5. Epid. & ex Riverio Mœbius in Institut. lib.2. part.3. cap.5.* habent, ubi fœmina vehementissimis ventriculi doloribus correpta, frustra adhibitis aliis remediis, solâ largâ venæ sectione adjuta est. Sed notandum, hæc de Væ Sone in paroxysmo instituendâ intelligenda esse, nam extra paroxysmum, deficientibus mensibus, hæmorrhoidibus, ex alio capite vena tundi potest, imò debet.

Dissipandi fine in Cardialgiâ flatulentâ *cucurbitula* multâ cum flammâ ventriculo admota incantamenti instar juxta *Pergamenum lib.*12. *M.M.*8. dolores tollit, cautè tamen mercandum, ne humoribus ad partem affectam attractis inflammatio concilietur, hinc probe observanda est regula *Fieni lib. de flatib. cap.*19. *p.* 158. *Frictiones* quoque extremorum, quia revellunt & archéum excitant, in usum trahi queunt.

Armamentarium ingredimur nunc pharmaceuticum, in quo fortiora & mitiora, quibus hostis debellari potest, offendimus arma; Illa exinde jam depromere non veremur, quia juxta vetus proverbium durus nodus durum requirit cuneum. Quo fine *Vomitoria*, observatis cautelis ab *Hartmanno in notis ad Crollii basil. Chimi. p.m.* 123. aliisque Medicis annotatis, optima & præstantissima sunt, si saburra viscida, acida, acris, biliosa, lac corruptum, venenum vel corrosivitate vel visciditate peccans, in ventriculo & primis viis stagnet. Infantibus ipsis, qui ob lac coagulatum tormina ejusmodi & ἔκλυσιν facilè patiuntur, commodè propinantur emetica. In hisce casibus ♁ ata correcta, ceu vomitoria omnium tutissima, inprimis autem *tartar. emet. ad gr. iij. iv.* in adultis, in infantibus verò ad *tertiam, quartam vel sextam grani partem* datus, *Mercur. vitæ, oxysacchar. emetic. à Domino Ludovici correctum, aqua Rulandi emetica* se commendant.

Consultò nunc *purgantia* & quidem non fortiora, sed leniora suademus, lenientia talia præsertim sunt *aloëtica & tamarindinata* acrimoniam bilis simul obtundentia, *extract. aloës cum menstruo aqueo factum, pilul. aloëtic. Francof. Glassian. Elix. proprietatis purgans, polychrestum, pulpa & extract. tamarindin. electuar. & serum tamarindinat.* &c. sic huc spectant quoque *pilul. tartarea*, quæ ut & aloëticæ in gravidis, debilibus & frequentius hoc malo corripi solitis semel vel bis pro re natâ in septimana exhiberi possunt. Circa hæc notetur, quod (1) purgantia pro ratione circumstantiarum in forma pulveris, pilul. potion. &c. præscribi, illisque (2) loco stimuli, si desideretur, *resin. Gialapp. scammon.* pauca quantitate addi, & si (3) suspicio vermium adsit, ☿ *dulc.* aliaque *anthelminthica*, admisceri queant.

Nec etiam *clysteres* suâ defraudandi sunt laude, mediantibus enim hisce nonsolum abstergendi, demulcendi, vermes expellendi, flatus discutiendi scopum obtinere, sed & colicis & nephriticis doloribus, si admixti sunt, prospicere sicque una fidelia duos dealbare possumus parietes. Tales clysteres constituunt *rad. alth. malv. helen. angelic. acor. herb. 5. emollient. Calaminth. tanacet. origan. flor. sambuc. chamomil. bacc. laur. juniper. sem.*

car-

carminat. &c. in s.q. ▽ *hord. vel communis, jure carnis, lacte cocta, additis elect. diaphœnic. lenitiv. Florenzola ol. aneth. chamomil. &c.*

Diaphoretica præter usum, quem in cardialgiâ à febribus & inflammatione ortâ præstant, etiam, quatenus flatus discutiunt acidumque absorbent, opitulantur; sic huic intentioni ex *volatilibus Tinctura bezoard. variæ, M.S. spir. theriacal. simpl. & camphorat. theriac. ipsa, spir. C.C. &c. ex fixis* ♁ *diaph.* ☉ *fulminans correctum, bezoard. mineral. C. C. Philosoph. præparatum &c. admixtis dosi refractâ opiatis* satisfaciunt.

Universaliter evacuantibus medicamentis annumeramus & *diuretica*, quæ amurcam venarum abstergendo obstructiones expediunt, & serum salibus lixiviosis, acidis, impuris, quæ in cardialgiâ scorbuticâ potissimum peccant, imprægnatum per vias urinarias eliminant, quo nomine commendamus *salia chamædr. chamæpit. genist. juniper. tartar. vitriolat. sal volat. succin. arcanum tartari, duplicatum Mynsicht. Lapid. Cancr. tinctur. tartari, silicum Glauber. aperitiv. Mœbi. nephritic. Michaël.* ♁*ii &c.*

Alterantia denique *specifica* & *corroborantia* tum interna, tum externa omne absolvunt punctum, & colophonem reliquis omnibus addunt. Excellunt imprimis *carminativa* oleosa, aromatica sale volat. oleoso balsamico gaudentia, humores acidos, fixos, acres absorbentia & temperantia; huc quoque *nervina* in specie dicta, quæ ipsam tensionem partium nervosarum motusque spasmodicos respiciunt & Archéum suaviter demulcent, apprimè faciunt. Sic elegantes mixturæ ad imitationem *Sylvii ex carminativis* aliisque, v. g. *aquâ menth. fœnicul. carminat. Dorncrell. Schrôder. Physogon. Anodyn. Quercet. composit. hypnotic. Mynsicht, cortic. aurant. Elixir vitæ Matthiol. spiritu nitri dulc.* (de cujus flatus discutiendi virtute vid. sæpius memoratus *Dn. Wedelius de medicamentor. facultat. lib. 2. sect. 2. cap. 4. & Crollius in Basil. Chim. p. m. 163.*) *spiritu carminat. Sylv. essent. calom. aromat. zedoar. oleis macis, zedoar. anis. fœnicul. vel horum elæosaccharis, sirup. menth. cortic. aurant. laudano opiato confici queunt.* Pulveres quoque ex *flavedine cort.*

 aurant.

aurant. spec. diacumin. diaspolitic. Galen. ♁*io diaph.* ☉ *fulmin. &c.* commodè præscribuntur.

Præ aliis *essent. carminat. Excell. Dn.* W*edelii in Opiologia p.* 119. *descripta*, cum *tinctura anodyn.* paucis guttis vel etiam *essent. Castor.* permixta laudem meretur, exemplum felicis successus consignatum est *l.c.p.*115. Præter jam recensita oleosa aromatica præsertim nominanda *sunt ol. bezoard. & caryophyll.* quorum *illud* ad *gtt. ij. vel iij.* in cardialgia & anxietate febrium malignarum & Hungaric. adhibitum admirandos edit effectus; *hoc* cum *laudata essent. carminat. seu præcipitantibus, conchis præparatis, corall. lapid. cancr. cryståll. præparat.* ♁ *io diaph. ebore in pollinem redacto, pulvere absorbente* W*edeliano* junctum non satis deprædicari potest.

Magnæ quoq; efficaciæ sunt *pulvis epilept. March. cinnabarina, ut cinnab. nativ.* ♁ *ii, specific. cephal. Michaël*, quæ humorum acrimoniam infringunt, simulque nervosam substantiam solantur, quâ intentione *spiritus & essent. castor. Elix. uterin.* in fœminis, egregiè se gerunt: Cardialgia, quæ ab *aqua fort. arsenico, Mercurio sublimato* &c. originem trahit, remediis viscidi tate acrimoniam obtundentibus & parietes ventriculi munientibus curanda est, qualia *sunt* oleosa, *ol. amygdal. dulc. lac bubul. emuls. semin.* 4. *frigid.* mucilaginosa, *ut mucilagines semin. Cydonior. psyll. sirup. symph. &c.* Vid. *Ephemerid. German. & Heer dd. ll.* hoc saltim notetur, curationem hanc eandem esse cum erosionis ventriculi ab internis causis progenitæ, adeoque huc pertinere pulverem *ex terra sigillata* in erosione probatissimum *à Sculteto in armament. Chirurg. p.m.*118. descriptum.

Quando verò omnia incassum tentantur, dolorisque sævitia omnium medicamentorum vim eludit, tunc ad opiata, tanquam sacram anchoram confugere debet Medicus. Hæc enim somnum conciliant, humores tenues biliosos incrassant, ferociam illorum domant, acrimoniam temperant, spiritus irritatos & ferocientes figunt, & in ordinem quasi redigunt, sicque dolores leniunt. Inter hæc *laudan. opiat. tincturæ anodynæ variis cum menstruis parata, magister.*

ano-

anodyn. Rolfinc. pulv. anodyn. confortat. Michaël. theriaca Andromach. recens, eminent. Hîc probè attendendum est, opiata vel intentione & dosi primariâ, de quâ jam agitur, vel secundariâ & dosi refractâ adhiberi, quâ aliis medicamentis, uti ex superioribus constat, etiam non obstantibus febribus malignis (in quibus *docente Viro de Medicinâ longè meritissimo, Magnifico Dn. D. Johan. Daniel Horstio, Diversorum S.R.I. Electorum & Principum Consiliario & Archiatro gravissimo, Promotore & Mecœnate meo summè venerando*, utramque absolvunt paginam, *Vid. judicium de Chirurg. infusor. p.* 83.) commodè admiscentur.

Ut hostis sat fortis eò felicius vincatur, Topica, quæ suavi calore demulcent, & materiam vitiosam per poros, quos simul laxant, dissipant, uno verbo paregorica applicanda sunt: quo fine *sacculi ex paregoricis & carminativis, herb. menth. absinth. origan. serpil. rad. Zedoar. flor. chamomil. Rom. summitat. aneth. semin. carminat. baccis lauri, juniper. furfur. tritic. sale &c. parati & calidè* admoti conveniunt.

Unguenta itidem, *inunctiones* & *balsama ex unguento anodyno, ol. Nucis Mosch. express. ol. Castor. Cydon. rosar. carminat. Mynf. Chamomil & supra laudatis oleis destillatis, Zibeth. balsam. Peruvian.* multum auxilii afferre queunt,

Ex emplastris empl. de crusta panis, de baccis laur. de tacamahac. Carminat. Sylv. &c. eximie prosunt. Hoc loco memorandum etiam est, multos Autores remedia hæc externa dorso applicanda esse, præcipere, quod quidem non improbamus, remur tamen, illa quoque anticè & quidem melius admoveri posse.

Ab instituto prorsus alienum esset, syncopes, aliorumque affectuum, qui vel fovent vel generant morbum, ut inflammationis, scorbuti, mali hypochondriaci &c. curationem ex propriis fontibus hauriendam latius nunc exponere: Ideo ad diætam, quæ paucis addenda restat, properamus.


Aër purus, temperatus, ad calidum tamen magis inclinans eligatur, & ventriculi regio ab ambientis aëris frigiditate arceatur. Cibi sint εὔπεπτοι καὶ εὔχυμοι, condiantur mace, aniso, & simili-

ſimilibus, quæ ventriculi roborationi, flatuumque diſſipationi inſerviunt: fructus horarii, flatulenta, & omnia, quorum ſupra cap. 4. mentio facta fuit, fugiantur, loco potûs cereviſia defæcata, & vinum, ſi ægri antea adſueti fuerunt, Rhenanum, Neccarinum, aliaque probæ notæ ſuadeantur.

In paroxyſmo placida quies potius convenit, extra paroxyſmum motus corporis moderatus non nocet, ſiquidem concoctioni favet, & excrementa imminuit.

Somnum, tanquam arcanum ex mente *Crollii baſilic. Chim. p.* 189. in medicina ſupra omnes lapides pretioſos, commendamus. Vigiliis nimiis hypnoticis proſpiciendum. Affectus animi graviores ad Indos & Garamantas relegentur; gaudium verò moderatum animum lætificet.

Alvus, ſi voto quotidie non reſpondet, medicamentis leniter purgantibus, ne ab excrementis retentis fumi ſurſum elati malum exaſperent, officii ſui admonenda.



COROLLARIA.

I.

VEriſſimè Hippocr. l. de Art. Ægri, inquit, inobedientes in mortem incidunt. Quæ ſanè qui non rectè conſiderant, cauſas ad hos, qui inculpabiles ſunt, referunt, eos verò, qui maximè accuſandi ſunt, à culpâ liberant & defendunt.

II.

In doctrinâ de occultis qualitatibus, neq; cum Galenicis, neq; cum Recentioribus quibusdam ſentiendum eſſe exiſtimo.


III.

Neoterici dum omnia, quæ in homine peraguntur, mechanicè explicare conantur, totam rem non exhauriunt.

III.

Sennertus lib. de Conſenſ. & Diſſenſ. cap. 18. *rectè putat, verum eſſe, quod Matthiol. lib.* 4. *epiſt. ad Andream de Blau ſcribit: Neminem Medicum abſolutum eſſe, imo ne mediocrem quidem, qui in Chymiâ non ſit exercitatus.*

Quæ



QUæ Tibi, quævé Tuis nomen memorabile MAGNI
Omina jam dudũ prosperiora dedit;
Nunc satis apparent, postquam præclara Galeni
Scripta, & quæ Medicus pharmaca monstrat Arabs,
Gnaviter inspêxti; nunc & monumenta laborum
Pandere, & Hippocratis niteris ore loqui.
Perge, bonis avibus! prodesse Machaonis instar,
Et patriæ medicam ferre lubenter opem:
Sit sanare Tibi semper, propriumque mederi,
Atque tuam videat plebs malè sana manum.
Annuat ex alto cæptis Regnator Olympi,
Et Lachesis leges audiat ipsa tuas;

Sic MAGNUM referes constanti laude Parentem, (eris.
Et Medicus verô nomine MAGNUS

Ita novis honoribus applaudit
NICOLAUS THILEN,
P.P. & Fac. Jurid. p. t. Decanus.

Q. D. B. V.

CRANZIUS insigni successu *Nominis* omen
Exprimit, & *fertô* laudeq; digna facit.
Cernimus in *Natô* repeti *Genitoris* Honores,
Dum *Patris* ingenium *Filius* acre refert.
Accessit constans studii cultura, laborque,
Ac Artis varium ritè peregit opus.
Num *Patre* major erit *Magnus?* quis, quæso, precari
Vel *majora* queat; vel *meliora* velit!

Clariss. Med. Candid.
DN. FRIDERIC. MAGNO CRANZ,
συσσίτῳ ϗ συνοίκῳ suo dilectissimo,
προσφωνήσει hac dudum promeritâ benevolæ Mentis affectum obsignare voluit
LAURENTIUS STRAUSSIUS,
Med. D. hujusq; & Physic. Prof. Ord.

QUisquis ad optatos ſtudii contendit Honores
Virtuti addictam ſeligat ille viam.
Strenuus in bello qui pugnat & acriter hoſtes
Concutit, hunc ferrô parta corona manet.
Sic quoque Muſarum vigili qui caſtra ſequuntur
Curâ, victores laurea *ſerta* gerunt.
Talia perpēdens, nobis chariſſime *Cranzi*,
In ſtudiis omni tempore gnavus eras,
Quæ tua diverſis patefacta induſtria ſignis,
Mox rapuit magnos in tua vota Viros:
Argentina quidē poſuit fundamina prima,
Sed *Jena* excoluit, *Giſſaq;* *ſerta* parat.
Hinc tibi Doctorum Cathedram conſcendere, & Artis
Promere ſelectum non ſine laude licet.
Atque *Patris* nomen multo revireſcit honore,
Qui quondam Medici gloria magna chori:
Hujus dum ſequeris fauſtô veſtigia greſſu,
Inter honoratos ſtabis & ipſe Viros,

Ma-

Magnaq; dilectæ renovabis gaudia Matri,
Usibus & Patriæ mox eris usque Tuæ.
Accensæ variô dum luxu incendia Febris
Tolles & stomachi grande levabis onus;
Factaque percussis sanabis vulnera membris,
Et celebri perges Arte levare malum.
Hinc te Fama canet, sanati debita solvent
Munera; Galenus sic tibi reddet opes.
Hæc tibi conjuncto repetens pia gaudia plausu
Semper ut eveniant, pectore quisque vovet,
Et quæcunque tuis optabis honoribus addi
Prospera, concedat Gratia magna DEI,
Sicque vale, certos inter numerande sodales,
Convictûs nostri sis memor usque! Vale!

Ita

Nobilissimo Domino CANDID. de promeritis Honoribus gratulantur cælitus secunda precantes

CONVICTORES.